

**I**nfuetum, quæque alta extremo sidera cœlo  
 Mortales fugiunt Dis tantum cognita visus.  
**I**lle autem occiduas quem tendere cernis in oras,  
 Nympharum chorus, Erigones ad Virginis astra  
 Accelerat gressum; illæ alia, quæ verticem ad altum  
 Adsurgunt, Boreamque petunt, regale feruntur  
 Ad solium, quo se ætherias devecta per auras  
 Cassiope ostentat, multaque in luce resulget.  
 Inde sacris ignem referent, sanctumque pudorem  
 Virginibus; magnis hinc matres Regibus aptas  
 Effingent, sumptis regali e sidere flammis.  
**T**alia dum memorat, totoque vagatur olympos  
 Uranie, roseo jam fulgere cœperat ore  
 Thitoni Eoo surgens e litore conjux.  
 Nec longum in medio tempus: consurgit ab undis  
 Lucifer æquoreis, & multo fulgurat igne.  
 Ergo illuc oculos, illuc Titania vitra  
 Flecto avidus, nec spe delusus fallor inani.  
**C**ampus erat partes late protensus in omnes,  
 Quem rigui fontes, positæque ex ordine myrti,  
 Et picti in medio flores, herbæque virentes  
 Esse Deæ sedem Cypriæ, gnatique probabant.  
 Omnis eo Divum cœtus devenerat, atque  
 Herboso viridem consederat aggere ad umbram.  
 Interea crassi fuscas super aeris auras  
 Æthera tranabant purum, celerique volatu  
 Tollebant sese tenues sine corpore vitæ  
 Vendrameniadum, Pisauriadumque, Quirinæ  
 Et gentis quotquot, quotquot vitalibus auris  
 Coraridæ vescuntur adhuc: sopor occupat altus  
 Membra soluta domi stratis in mollibus, illi  
 Accelerant cursum, cœloque feruntur aperto.  
 Corariden juvenem, Pisauriademque puellam  
 Deducunt medios gemini hinc, atque inde parentes,